



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

9. De homicidiis hominum Regis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-19366**

78. De eo qui furem in domo receperit.  
79. De homine pendato & ejus hereditate.  
80. De via lacina.  
81. Vt parvulus non respondeat ante quindecim annos.  
82. De damno in messe vel in clausura.  
83. De maleficio.  
84. De Grafione injuste invitato.  
85. De corpore exspoliato.  
86. De caballo excorticato.  
87. De homine forbannto.  
88. Vt nemo munera in iudicio accipiat.  
89. Vt iudices sive Missi fiscales freda non exigant priusquam facinus componatur.

## EXPLICIUNT CAPITULA.

## INCIPIT LEX RIPVARIORVM.

## I. De ictu ingenuorum.

Si quis ingenuus ingenuum ictu percussit, solido uno culpabilis iudicetur. Si bis, duobus solidis. Si ter, tribus solidis culpabilis iudicetur.

## II. De sanguinis effusione.

Si quis ingenuus ingenuum percussit, ut sanguis exeat, terramque tangat, bis novem solidis culpabilis iudicetur. Aut si negaverit, cum sex juret.

## III. De ossi fracto.

Si quis ingenuus ingenuo in quolibet membro os fregerit, xxxvi. solidis culpabilis iudicetur, aut cum sex juret.

## IV. De puncto.

Si quis ingenuus alterum transpuncerit, aut infra costas plagaverit, xxxvi. solidis culpabilis iudicetur, aut cum sex juret.

## V. De debilitatibus.

I. Si quis ingenuus ingenuo auriculam excusserit, ut audire non possit, centum solidis culpabilis iudicetur. Si autem auditum non perdidit, quinquaginta solidos componat.

II. Si nasum excusserit, ut mucate non possit, centum solidis culpabilis iudicetur. Si mucare praevalet, quinquaginta solidos componat.

III. Si quis ingenuus ingenuo oculum excusserit, centum solidis culpabilis iudicetur. Si visus in oculo restiterit, ita ut videre possit, quinquaginta solidis culpabilis iudicetur.

IV. Si manum excusserit, centum solidis culpabilis iudicetur. Si manus ibidem manca pependerit, quinquaginta solidos componat.

V. Si quis ingenuus ingenuo pollicem excusserit, quinquaginta solidis culpabilis iudicetur. Quod si pollex ibidem mancus pendiderit, viginti quinque solidis culpabilis iudicetur.

VI. Sic in omni mancatione, si membrum mancum pendiderit, medietatem componat quam componere debuerat si ipsum membrum abscissum fuisset.

VII. Si secundus digitus, unde sagittatur, excussus fuerit, triginta sex solidis componatur.

VIII. Si quis ingenuus ingenuo pedem excusserit, centum solidos componat. Si pes mancus ibidem pendiderit, quinquaginta solidis culpabilis iudicetur.

IX. Si articulum qualemcunque amputaverit, triginta sex solidis culpabilis iudicetur.

X. Ista omnia si negaverit, cum sex juret quod hoc non fecisset.

## VI. De castratione.

Si quis ingenuus ingenuum castraverit, ducentis solidis culpabilis iudicetur. Aut si negaverit, cum duodecim juret.

## VII. De homicidio ingenuorum.

Si quis ingenuus hominem ingenuum Ripuarium interfecerit, ducentis solidis culpabilis iudicetur. Aut si negaverit, cum duodecim juret.

## VIII. De homicidiis servorum.

Si quis servum interfecerit, triginta sex solidis culpabilis iudicetur, aut cum sex juret quod hoc non fecisset.

## IX. De homicidiis hominum Regis.

Si quis hominem regium interfecerit, centum solidis culpabilis iudicetur, aut cum duodecim juret.

## X. De homicidiis hominum ecclesiasticorum.

I. Si quis hominem ecclesiasticum interfecerit, centum solidis culpabilis iudicetur, aut cum duodecim juret.

II. Sic in reliqua compositione unde Ripuarius quindecim solidis culpabilis iudicetur, regius & ecclesiasticus homo medietatem componat, vel deinceps quantumcunque culpa ascenderit.